



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Postulati secundi aequitas ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

P O S T U L A T A.  
P O S T U L A T U M I.

Postuletur adhiberi hic animum docilem, & veritatis studiosum; non refractarium, & pertinacem.

*Postulati primi aequitas ostenditur.*

I. **N**ec enim hic animum tam convinci, quam persuaderi velim. Illud rationes fortasse nostrae efficere poterunt; ea est Christianae causa: veritas: hoc de sola animi aequitate & candore sperare licet. Quod si ab aequo Lectore impetro, uti me impetraturum confido, alterum hoc facile mihi concedet:

P O S T U L A T U M I I.

Tam certo ea credi quae hic probabuntur, quam creduntur reliqua, quae paris roboris rationibus nituntur.

I. *Postulati secundi aequitas ostenditur.* II. *Praemittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.*

*Postulati secundi aequitas ostenditur.*

I. **Q**uidni hoc impetrem quod postulo, cum non hic de lana caprina, non de vanis iis Philosophorum quaestionibus, non de temporariis rebus controversemur; sed de re omnium maxima, unde salus aeterna pendet, vel numquam desitura calamitas. Quod si ex iis quae vel experientia teste, vel lumine naturali duce, vel ratione, vel morali fide habemus perspecta aut persuasa, vitae hujus normam absque dubitatione ulla aut tergiversatione sumimus, cur non paris auctoritatis rationibus ad idem in re longe gravissima faciendum impellimur, aeterna nimirum beatitate consequenda? Ad iter accingeris in crastinum: aestate ligna reponis in hyemem, hyeme glacies in aestatem: feris arbores quae alteri saeculo profint; nec certi tamen habes quicquam, vel de saeculo futuro, vel de futura aestate & hyeme, vel de die crastino, praeter conjecturam, quam de praeteritis fecisti. Spe lucelli fortunas omnes suas mari committit mercator, & ad Indos mittit, quos numquam adiit, & quos esse fando tantum accepit. Quod si res proposuero, similibus argumentis, moralibus nempe comprobatis & compertas, cur non parem adjunges fidem? cur in fluxis rebus & vanis tantum hujusmodi rationibus tribues; in gravissimis & aeternis tantum iisdem detrahes? cumque Geometrarum imperia patienter feras, nec eorum Postulatis quantumlibet iniquis parere detredes; aequissimo huic Postulato non annues?

*Praemittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.*  
Procl. libr. 3. in Euclid.

II. Iniqua dixi Postulata Geometrarum, qui ea concedi sibi volunt, quae nec facta sunt unquam, nec futura, nec ulla arte humana fieri possunt. A puncto ad punctum lineam duci, quovis centro & intervallo circulum describi jubent, ut facile factu, *ὡς ἀεὶ γενεῶν ἢ ἐμπόσεων*, (sic enim loquitur Proclus.) cum nec punctum esse possit, nec linea. Caterum dubitabat Timon in libris contra Physicos, an aliquid sumendum esset ex Hypothesi; atque hanc Hypotheseon licentiam Sextus Empiricus solerter coercuit. Plurima praeterea Euclidis Postulatis inesse vitia mox probabimus, postquam Communes notiones aliquas praemisserimus, quarum prima haec est:

